

**Lateinische Lektüreübung II (Faller)**  
**Wintersemester 2023/24**  
**Text 13**

*Das elegische Ich ist gerade vom Besuch eines Bergwerks sozusagen aus dem Bauch der Erde zurückgekehrt und vergleicht seine Erlebnisse mit einer Reise in die mythische Unterwelt.*

Sed redii superas **dextro Iove** vivus ad auras,  
lustravi et Stygii tristia regna canis,  
**Alcide**, ut similem dicar subiisse laborem  
et socia, Theseu, qui rapis arma manu  
illaque iam rigido volui tibi scribere versu,                   5  
quo noster solidum pignus haberet amor.  
Est specus immensis pandens cum faucibus ora  
**suppositum**que vident lumina nulla solum,                   III  
sed face candenti distantia longa notatur,  
fax ubi inexhausta luce **fatiscit humo**.                   10  
Ora specus circum latissima machina surgit,  
quam rota cum rapidis turbine versat equis.  
**Robora** transpositum per multa volumina funem  
**plectuntur**: **Curvo** pondera **dente** trahens  
**lubricus** hic caecum mortales mittit in antrum           15  
aëreum praebens irrequietus iter.                   III  
Huic ego sum tremulus toto cum corpore vinctus,  
ut fueram tristes ausus inire domos,  
quas neque lucifluus conlustrat lumine Phoebus  
nec radiis penetrat lucida fratre soror;                   20  
cum Iove **multiproco** fugit hic Cyllenius **ales**,  
his neque **sub** specubus, Mars violente, rubes,  
nec Veneris flammae rutilant hoc orbe remoto  
falciferique senis lurida stella latet.                   III  
O mihi quam magno trepidabant corda pavore,           25  
pendula **lictores** dum ea membra ligant  
et mea Tartarea condunt ubi corpora veste:  
Nullus erat toto vivus in ore color,  
dumque inter vitam medius mortemque volarem,  
Daedalii timui fata subire fabri.                   30  
Sed modo cum superas rediissem **sospes** in auras,  
oblectat tales saepe subisse specus.

**Hilfen:**

- Z. 1: **dextro Iove**: hier: „durch die Gunst Jupiters“
- Z. 3: **Alcide**: hier Vokativ von *Alcides*, „Alkide“ (Beiname des Hercules).
- Z. 8: **suppositum**: hier: „weit unten (befindlich)“ (bezogen auf das Substantiv (!) *solum*).
- Z. 10: **fatiscit humo**: = hier: „am Boden erlischt“.
- Z. 13f.: **robora ... plectuntur**: hier: „hölzerne Balken halten ... fest“ (nämlich *transpositum funem*).
- Z. 14: **curvo ... dente**: hier: „mit gebogenem Haken“.
- Z. 15: **lubricus**: „unsicher“ (wie *hic* bezogen auf das zuvor erwähnte Seil).
- Z. 21: **multiproco**: Abl. von *multiproco*, -a, -um, „häufig als Freier tätig“.
- Z. 21: **ales**: „geflügelt“.
- Z. 22: **sub**: hier gleichbedeutend mit *in*.
- Z. 26: **lictores**: hier: „Diener“ (die den Herabsteigenden die *membra ligant* (festbinden)).
- Z. 31: **sospes**: Nom. Sg. m. „wohlbehalten“.

**Zusätzliche Aufgaben:**

- 1) Von wem könnte der Text stammen?
- 2) Wer ist der *canis* aus Z. 2?